



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Sente[n]tia Auctoris propria, & dissolutio difficultatis. Cap. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

ma ad ostendendum, nos & semper, & omnia scire, colligit; Constat itaque, quod puer sciebas, & quando genitus es, & quando natus; immò, & antequam nascereris, & antè Cœli, terræque ortum scisti omnia, si modò semper scis. Præterea inquit Plato in Timæo; Dies porrò, & noctes, & menses, & annos, qui ante Cœlum non erant, tunc nascente Mundo nasci iussit, &c. Demum in libro de regno ait, Priscos homines ex terra fuisse ortos. Hæc potiora sunt ex illis, quæ afferri possunt ad ostendendum, quod Plato verè asseruerit Mundum, & tempus habuisse principium, non autem fuisse semper.

Sententia propria, & dissolutio difficultatis.

CAP. XII.

Multa, & ea quidem magni ponderis sunt, quæ pro omni parte afferri possunt; adeo ut iure viri sapientes de sententiâ Platonis summo opere fuerint ancipites, & varij varia senserint, & lis adhuc sub iudice pendeat. Verùm, ut de re tam dubia dicam, quod sentio, ita decernendum censeo. Si accuratè perpendimus modum philosophadi Platonis, inueniemus primò, quod de his, quæ pertinent ad Dei gloriam, ad hominis erga Deum pietatem, semper se certissimum manifestavit; semper attentissimè ad Dei eminentiam, sæcunda oratione, plenisque (ut aiunt) faucibus extulit; ut de Providentiâ Dei, de

de Religione, de rerum omnium à Deo depē-
dentia, & aliis huius generis se habet. perci-
piemus secūdo, quòd de indifferentibus, siue
sint eterna, siue mortalia, semper se ancipitem
manifestavit: dixit se nihil scire; affirmavit in
Phædone in persona Socratis, se ob naturaliū
rerum considerationem vsque adeò fuisse ob-
cæcatum; vt ea etiam, quæ prius manifestè scie-
bat, vt ei, aliisque videbatur, in ignorationem
fuerint conuersa. His animaduersis, dico, in
Mundo nos duo posse considerare: primū est,
quòd pendeat à Deo; alterum est, quando à
Deo manuerit, num ab æterno, vel in certo,
& determinato principio. primum verè ma-
nifestat conditionem, & gloriam Dei, ac in no-
bis pietatem parit erga illum: alterum est in-
differentens: quouis enim modo sese habeat, sem-
per indicatur Gloria opificis, semper manife-
statur nos omnia iudicare debere munera
Dei. Propterea de primo se certum vbiq; ma-
nifestavit, de altero se vbiq; indicauit dubiū.
Insuper consuevit Plato de attinentibus ad
gloriam Dei multa ex antiquis depromere, &
præsertim ex Aegyptiis: ideo in Timæo Aegy-
ptiis, vt antiquissimis, sine ratione credendum
esse ait: præsertim, cūm de Diis est sermo. hanc
difficultatis resolutionem colligo ex Platone
in 6. de legibus asserente: Scire omnes oportet
hominum generationem, vel nullum vn-
quam prorsus initium habuisse, neque termi-
num habituram: sed fuisse omnino semper, &

fore: aut si cepit, inextimabili ante nos tempō-
 ris magnitudine incepisse. Sic de initio se du-
 bium affirmat. Insuper, in 10. de Legibus in-
 quit: Si quouis modo vniuersa simul stete-
 rint, vt plurimi talium audent dicere; quem
 motum potissimum primum in ipsis fieri asse-
 remus: his quoque verbis Plato asserit, se nil
 audere de principio mundi decernere. Ad
 hæc fortè respiciens Arist. in lib. 1. Topicorum
 dixit, Problema de mundi æternitate esse Dia-
 lecticum: nam dialecticum est non ex opinio-
 ne Arist. qui putat se æternitatem exactè de-
 monstrasse, sed ex opinione Platonis. Cùm
 itaque Plato de hac re nil absolutè decreuerit,
 præsertim tamen ex fundamentis eius sequi-
 tur, vt sit omni ex parte æternus, cùm æterna
 sit materia Mundi, pariter & Anima. ideo po-
 riores Platonici, huic parti potiùs, quàm alte-
 ri adhærent. Nec difficile est rationes soluere,
 quæ huic parti aduersantur. Ex his colligo re-
 vera Aristotelem dissentire à Platone: primò,
 quia Arist. se de æternitate certum manifestat,
 Plato dubium: secundò, quia Aristot. cœli, &
 mortalium diuersam censet esse materiam,
 Plato eandem: tertio, quia Plato, si etiam con-
 cederet mundi æternitatem, attamen ei con-
 uenire assereret causam efficientē, & poneret
 emanationem illam æternam, quam æternam
 creationem appellant; quàm minimè censeo
 cum Arist. concedendam fore: quartò, quia
 cùm Plato cœli, & mortalium eandem statuat
 mate-

materiam, magis ponit mundum solubilem,
& magis indicat egere conseruante, quàm fa-
ciat Arist. Ad quæ fundamenta si respicimus,
optimè cognoscemus, quàm leuiter Sim-
plicius Arist. hac de re cum Platone
conciliet, & quàm manifestè
sententias verè distinctas
confundat.

FINIS PRIMI LIBRI.

D 4

